

PALAEESTRA LATINA

S u m m a r i u m

- Commercium Epistulare
Emmanueli Jové
(J. Mateucci).
- Palaestra Latina Martyres Celebrat
(M. López de Zubiria).
- Sollemnies Vallisbonae celebrata
(H. Martíja).
- De Martyrio Em. Jové
(R. Sarmiento).
- R. D. Leander Fanlo
(A. Herrera).
- Conloquia in Schola
(Em. Jové).
- Suavis recordatio
(X. Surribas).
- In memoriam R. D. Julii Leache
(M. López de Zubiria).
- Victimis Hispanis
(J. A. Velasco).
- De civili apud hispanos dissensione
Tortitudo Em. Jové
(A. Avenarius).
- Bonus miles Christi
(G. Cabejlo).
- Mirifica Portenta
(L. Marcos).
- Bibliographia
(H. Martíja).

COMMERCIUM EPISTULARE

(1)

Raymundus Sarmiento, C. M. F.

Andreae Avenario, S. V. D. s. d.

Moerore oppressus acerbum tibi nuntium ac funestissimum defero; multis ille bonis flebilis occidit, Magister noster, quocum ipse familiarissime utebaris, humilis ac sapiens, pius et alacer omniumque religiosarum virtutum custos indefessus, Palaestrae Latinae conditor ac moderator solers, Pater inquam Emmanuel Jové plumbis communistarum est interfectus.

Plumbis dixi communistarum, genus enim mortis quam ipsi intulerunt immanes religionis hostes adhuc nobis ignotum manebat. Nuper quidam ex profugis Italiae solum advectus, Patrem cruci affixum ac postea, rogo accenso, vivum combustum fuisse cum aliis 14 meis in Domino sociis et condiscipulis, narrat. Mors quidem certissima; sed adjuncta mortis sedulo explorare oportebit.

Clarum illud latinitatis lumen natum erat Vallbonae, Ilerdensis provinciae oppidi, die 14 Septembris 1895, Vici prima vota nuncupaverat 15 Augusti 1912, sacerdos initiatus 29 Maij 1920; absolvere non valuit quod exarabat totius latinitatis lexicon et alia quae prae manibus habebat opera.

Die 21 Julii unius horae spatio Universitatem deserere, coacti stipante nobis sceleratorum manu haud leviter armatorum, indeque mille perfuncti periculis, nos cives exteriores, Hispaniae fines relinquere, Dei beneficio, consecuti sumus. Omnibus destituti, Italiam petimus, nunc vero caeli spiritum ducimus nobilis Ausoniae.

Faxit Deus et Beata Virgo ut Hispaniae terris quantocius sol prosperitatis et pacis iterum affulgeat. Vale.

Dabam Tusculi in Italia VII kal. Oct. a. MCMXXXVI.

Andreas Avenarius presb. S. V. D.

Raymundo Sarmiento fratrl sal.

Peracerbum sane funestumque misisti nuntium. Quis crederet eas ferias quas Emmanuel meus faustas et secundas optaverat, ipsum non absoluturum inter mortales esse? praesertim qui se nunquam aegrotasse gloriaretur. Nunc ille mensem Octobrem, quo nobis novum Palaestrae annum orsurus erat, in aula caelesti incohavit inter sanc-torum martyrum agmina et ipse purpura insignis et palma, utpote qui venerit ex magna tribulatione.

Accepto nuntio, statim decrevi sacra altaris facere pro amico et licuisset nigris; sed non sum ausus pro teste Christi, quem omnes nos cum tot fratribus apud Deum esse plane sentiremus. Itaque Angelorum custodum missam, nam fuit is dies a. d. VI Non., celebravi non tam pro amico, sed pro illis congregationis Claretianae sodalibus, qui vel ad exteriores nationes ejecti deflent amissum tot fructum laborum, vel sicut ferae in ipsa Hispania adhuc mutare coguntur sedes. Quanta iste sovieticus furor damna intulit Ecclesiae! Quot sacerdotes et religiosos viros et sacras Dei virgines absumpsit! Quot monumenta ingeniiorum vel delevit vel deletis auctoribus futuris saeculis intercepit! Quis tam cito apparabit illud lexicon totius latinitatis, quod scribis, Jovaeum moli-ri coepisse? Est ut nuper in ephemeride quadam disputavit quidam philosophus hispanus: furiatam multitudinem clamare panem, sed destruere pistrinum unde coquantur panes. Flebilis ergo amicus occidit. Quid Martija? Quid Jiménez? Uterque gymnasii Cervariensis professor, quae utriusque sors est?

Sed mihi praesagiabat animus hoc quod factum est futurum esse. Itaque cum audissem etiam regionem Ilerdensem quasi rubro impetu, timere coepi quid amicis meis fieret. Et sperabam quoniam feriae erant vel Cervariae non esse, vel occasione aliqua fugiendi usos. Nunc tam atrox genus mortis et robustis per aetatem viris! Gratissimum etiam fecisti quod docuisti, quo die natus, quo die Cordis Mariae Filius, quo die sacerdos factus esset Emmanuel. Ergo sexdecim annos expleverat sacerdotii! Tu vero fac quod es pollicitus ut cum ultima fata patris innotuerint, diligenter huc scribas omnia. Quid? Parentes ejus adhuc superstites sunt an eos secutus est? Est ante oculos meos lucigena imago, quam mihi ante nonnullos annos misit. Hanc nunc cum maiore adspicio reverentia, cum ejus referre intellegam faciem, quem pro Christo interfectum futuris saeculis nominandum putem in martyrologio. Jovaeus meus in postrema Palaestrae elucubratione honorifice commemoravit etiam Avenarium et patroni mei imaginem meis ornatam versibus in breviario habebat suo. Nunc illis dedit Jesus per Spiritum Patris Andreana mori fide, imitari Policarpum et Laurentium et Japoniae martyres et innumerabiles alios, qui per ignem educti sunt in refrigerium. Neque dubito equidem, quin etiam caelitus faveat rei Latinae, cui hic vires et studium dederat. Nos faciat eum et fratres Deus optimus in aeternae claritatis gaudio videre, et cum illis post breves vitae annos conjungamur felicitati Sanctorum!

Ex S. Petri missionaria domo, quae est in urbe Tirschenreuth, III Nonas Octobres anno 1936.

(1) Occasione martyrit R. P. Emin. Jové, C. M. F. juvat has epistulas, anno 1936 scriptas, juris publici facere.

ANNUS SCHOL. IX.—NÚM. 56

MENS. JULIO ET AUGUSTO

MCMXXXIX




PALAESTRA LATINA

Premium subnotationis annuae, solutione antelata, est 10 pes etarum in Hispania et Lusitania, 11 pes. in America et Philippinis Insulis, et 12 pes. in reliquis civitatibus - Premium mittatur oportet ad Administratorem: Alagón (Zaragoza) Misioneros-España.

EMMANVELLI. JOVE
MISSIONARIO. CLARETIANO. PERILLVSTRI
LITTERARVM. LATINARVM. EXIMIO. FAVTORI
TERTIO. RECVRRENTE. ANNO
AB. IPSIVS. GLORIOSO. MARTYRIO
PRO. CHRISTI. NOMINE
PATIENTISSIME. PERPESO
PALAESTRA. LATINA
INSTITVTORI. SVO. CLMO.
ATQVE. EJVSDEM. REDACTORIBVS
OMNIBVSQVE. HISPANIAE. MARTYRIBVS
OBSEQVIVM. AMOREM. REVERENTIAM
TESTATVR
AC. BENEDICTIONEM
AB. IPSIS. DEPOSCIT

EMMANUELI JOVE

AMICO DESIDERATISSIMO
NEFARIE IN HISPANIA INTEREMPTO



*Quis furor heu dirus permiscet pectora Iberum
Et patrium misere quassat ubique solum!
Qua rabie effrena exardescunt corda, et in altum
Effertur, signum mortis, iniqua manus!
Frater ut iratus tigris ferus impedit ipsum
Fratrem, et fraterno terra cruore calet!
Mater flet natos immani morte peremptos
Combustosque tenet cruribus ipse pater!
Clauditur, heu, caelum horrescens ipsaeque tenebrae
Attonita tanto funere mente pavent.
Parce, Deus, sanctumque tuorum, Christe, memento
Et pacem missō crimine redde pius.
Quo plausuque hominum ac musarum numine faustus
Doctorum electo major in orbe virum*

*Certavit noster studio ingenioque Jovaeus
Praestant atque novis viribus usque valens;
Laudandumque avidis folium dare tempore alumnis
Curabat, vigili paria labore opera.
Qua et juvenis viresque aususque probare Palaestra
Majorumque armis ludere nobilibus.
Sic Larium alma et religiosa pace colebat
Sermonis, felix, grammaticaeque decus.
Ast turbo patriae miseras qui corripit oras
Abstulit et tecti limine abegit eum.
Non venerati jam pacem praestare penates
Possunt, non superum caelica tecta domus.
Ut fera sub montis latebras compellitur atras
Configere et gressus condere signa miser,
Sectatusque nimis, lucem vitare diei
Infestam, et tenebras noctis amare nigras.
Aufugere a recta, dubiamque gravemque periclis
Quaerere per valles, per nemus omne viam.
Sicque subire domum, sic fatum arcere studebat.
Incassum! Fallax nigruit ecce manus,
Et matris jam jam cernentem lumina natum
E vivis aufert ipsa sub ora patris.
Quo, torvisque feris indigno, funere caesus
Qui reus et Christi et fratris amoris erat.
Arripitur, rogitatur, supplicique repertum
Fit gladius; signum quod pietatis erat
Afficitur probris. Christo maledicere, Sanctis
Cogitur, et Fidei temnere signa pede.
Nequicquam. Tumida tunc clamant voce: «Vorabis!»
Arreptaque premunt gutturis arcta cruce.
Dilacerantque diu. Jam dentibus, ore genisque,
Horret defluxo sanguine; pallor obit,
Expleta tandem rabie miserable plumbo
Placatur corpus, corpore vita fugit.
Et sic humano meritus cultu atque Camoenis,
Non fractus, Fidei serta suprema tulit.
Solare, o patria! Infelix si luctibus horres
Hac nati fama tempus in omne nites!*

Albani ad Romam.

JOSSEPHUS MATTEOCCI, C. M. F

Palaestra Latina MARTYRES Celebrat

Intuemini, lectores humanissimi, intuemini caram Emmanuelis effigiem. Quis credet? Dulcissimus ille nosfer Palaestrae Latinae Conditor et Moderator, Litterarum Latinarum Professor, ac Parisiensis Societatis Studiorum Latinorum Membrum eheu! a communistis occisus est. Hilarem ejus vultum suavitatem atque innocentiam usquequaque redolentem aspicere nobis in posterum non licebit, ejus suavi ac simplici sermone jam non fruemur, neque oculi nostri scriptis classicam Latinitatem spirantibus delectabuntur.

MAGISTER SAPIENS, RELIGIOSUS FERVENTIS ATQUE VIRTUTUM EXEMPLAR, FILIUS INMACULATI CORDIS B. M. VIRGINIS FIDELISSIMUS AC AMANTISSIMUS, SACERDOS TOTIS VIRIBUS DEO DEDITUS MORTULUS EST. Mortuus est? Minime. Immo vivit et in aevum nobiscum vivet cuius memoria, labentibus annis, non delebitur. Martyris exempla nobis imitanda fulgentissime offerentur, ejus lectiones in mentibus atque cordibus nostris sculptae constanter permanebunt.

Palaestra Latina eximum Conditorem ac Moderatorem magna prosequetur reverentia atque honore ejusque vestigia sequetur impavida. Strenue Christi martyr! ad nos benigne oculos verte, et tuae carissimae Palaestrae Latinae, cui te totum vivens dedidisti in Dei gloriam, benedic piissime ut vita fruatur potenti fructusque colligat uberrimos in SUPREMI REGIS laudem animarumque salutem.

Multis abhinc mensibus jam constitueramus primum Palaestrae Latinae post instaurationem fasciculum clarissimo ipsius Conditori dicare, neque fecimus donec ejus mors certis argumentis confirmata plenissime pateret. Nulla jam spes eum in terra iterum videndi effulget. Occubuit, occubuit miles fortis, litterarum decus. Vitam exemplarem sanguine effuso testatus est. Gaude et laetare, mi dulcissime Emmanuel, diadematate coruscante ornatus. Gaude et pro Palaestrifis precare.

Hunc quoque fasciculum JULIO LEACHE ET LEANDRO FANLO, Palaestrae Latinae redactoribus, ceterique christianaे Religionis PURPURATIS TESTIBUS a communistis in Hispania saevissime vexatis atque interfectis offerimus libentes. Omnes hi ceciderunt sed gloria obruti. Ceciderunt ut milites strenui, non victi sed triumphatores. Terra hispana, milies clara, novum terrarum orbi exhibit diadema sanguine filiorum purpuratum. Martyres invicti Deo animam tradiderunt oculos manusque in caelum tendentes atque voce clamantes: «VIVAT CHRISTUS REX», «VIVAT COR INMACULATUM B. M. VIRGINIS», «VIVAT HISPANIA MATER», «CHRISTUS HERI, ET HODIE ET IN SAECULA».

Coronam pulcherrimis hujus fasciculi floribus contextam texere eaque frontem Palaestrae Latinae Conditoris ceterorumque Hispaniae martyrum, qui gloriosissime pro Deo et pro patria occiderunt, circumdare volamus. Faxit Deus ut clarissima HEROUM exempla et miremur et sequamur semper

MACARIUS LÓPEZ DE ZUBIRIA, C. M. F.

Sollemnia in honorem P. Emmanuelis Jové Vallisbonae celebrata

Die XXIX transacti mensis Maji populus Vallisbonensis (Vallbona) in Lleida, ubi primam lucem aspicerat P. Em. Jové, honores reddidit funereos cl. filio et martyri egregio.

Jam diu festum extraordinarium parabatur in quattuor martyres Vallisbonenses, a communis occisos, in quibus eminebat sodalis noster carissimus et PALAESTRAE LATINAЕ conditor P. Emmanuel.

Hic ad llerdense civitatem adductus, interfectus est, mirabili animi fortitudine, una cum quattuordecim Congregationis Cordis B. M. Virginis alumnis, in coemeterio ejusdem civitatis, die 25 m. Julii, Sancti Jacobi Hispaniae Patrono festo, anno 1936

Commemoratio vere splendida evasit, praesertim Gubernatoris civilis et Praesidis Provincialis Phalangis praesentia.

Praeter alias magistratus ab auctoritate civili et militari deputatos, adsturre duodecim sacerdotes ex clero saeculari, et tres ex nostra Congregatione Claretiana, P. Eduardus Fabregat, nomine Gubernii Provincialis, P. Aloisius Pujol ex Universitate Cervariensi, et infrascriptus *Palaestrae Latinae legatus*.

Primo mane Missa Communionis Generalis est celebrata, in qua P. Fabregat ferventem multitudinem in templo congregatam hortatus est ad dignus suscipiendum panem caelestem; tandemque fuit communicantium fidelium concursus ut sacrae particulae paene deficerent.

Deinde in platea Monasterii habita est Missa Sollemnis de Requie ab universo populo decantata, cui aderant corporations Phalangis ex finitim populis, cum vexillis singularum propriis, numerum quadragesimum excedentibus, adeo ut platea usque in remotioribus angulis occupata tria millia hominum utriusque sexus facile contineret. Finita Missa. R. P. Fabregat ea eloquentia, concinnitate et majestate qua solet, orationem funebrem pronuntiavit, in qua glorias martyrum extulit. Continuo illa Phalangitarum cohors, ordinatim procedens, musicis comitata concentibus, in coemeterium sese contulit, ubi unius martyrum exuviae sunt depositae, Sessioque Necrologica peracta, breviter disserente in elogium nosiri martyris Palaestrae Latinae legato, qui etiam adhaesionem legit P. Jiménez, ejusdem commentarii Moderatoris qui militaribus munis distentus, interesse non valuit.

Hora tertia post meridiem, praesidentibus magistratibus civilibus et militaribus, in plateam convenit universa populorum frequentia, ubi praeter orationes Praesidis Phalangis Vallisbonensis aliorumque oratorum, excelluere adlocutiones a Praeside Provinciali et Gubernatori civili pronuntiatae. Sollemnis haec commemorationis finem accepit, ut mos est, inter hymnorum nationalium concentus et acclamations in Martyres, in Hispaniam, cet.

Non delebitur unquam a Vallisbonensium memoria nomen Emm. Jové, lapide marmoreo publice inscriptum; nostro autem corde sodalis desideratissimus perpetuo manebit: teste enim Prudentio, «scripta sunt caelo, aureis expressa signis, Martyrum vocabula».

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

DE MARTYRO P. EMM. JOVAEI, C. M. F.

Tribus fere annis mansit illud post hominum memoriam maximum inter Hispanos crudelissimumque bellum quale nulla unquam barbaria cum sua gente gessit. Re sane vera, quis rubrorum facinora numeraverit nefarie patriae exitium omni ratione machinantium? Quot hujus barbariae faces majorum monumenta, commune omnium gentium decus, adoluerunt! Quot viros humanitate, ingenio, litteris praestantes istius saevitiae effrenatus mactavit furor! Quocumque aspicias nihil nisi caedes, incendia et rapinas invenies in hoc incredibili rerum omnium naufragio, quod non modo viros egregie excutios consortio abstulit amicorum, verum etiam paeclaris litterarum studiis multum attulit jacturae interitu P. Emmanuelis Jové, C. M. F., Palaestrae Latinae conditoris, cuius acerbum atque etiam miserum casum iniquissime ferunt palaestritae omnes.

Factorum memoriam, partim ut testis oculatus, quorum pars minima quidem ipse fui, partim ut ab idoneis accepi auctoribus referam.

Die 21 Julii unius horae spatio coacti sumus Universitatem relinquere. Superioribus diebus jam inde a die quo res commoveri sunt coepitae, aedes nostras die nocturno discessum prohibentes perfricatae frontis homines ad vigilabant atque iiderunt, omnia, in discessu a pedibus ad caput summum perquirunt. Omnibus destituit, quo nos converteremus, ignorabamus penitus. Tandem post quinque horas maximae expectationis conceduntur automoli currus tres et Celsonam (Solsona) versus rapimur; medio autem itinere, praeter omnium opinionem, sistimur et reducti cogimur, postmodum multum jam tunc noctis processerat in quodam includimur coenobio Pares et scholastici et pueri natu minimi ad numerum centum et sexaginta.

Hic biduum, ut in custodiam dati, permansimus; cumque rerum copia suppeteret nulla, hostium periculum propulsantes qui ferro vel flammis nos assidue minitabantur, ad villam opis nostrae quattuor horarum pedestre iter distanlem occultos per trami es confugimus. Hic quoniam fama erat ultra citroque vagari botchicos, ferventem illius mensis caloribus noctem in cuiusdam montis recessibus duximus transigendam. Primo diluculo, ad villam usque decurrimus, sed eheu! vix Sacro litato, ecce ipse Cervariae praeses paeclarum habens cohortem praetorianam necopinatos nos invadit, officio fungens cui erat praepositus, perlustraturus...

Usquedum Jovaeus noster his peregrinationibus afuerat; feriarum enim initio in lexico latinitatis impensis adlaborandi gratia, ad villam se receperat, ibique tempestatis procella est oppressus.

Ergo eximius ille rei publicae praeses gravissimis verbis etiam necessiorum inhibuit usum idemque ne quicquam deficeret se omnem operam paestiturum spopondit; at, verba et voces paetereaque nihil...

Haec dum gerebantur, uno etiam ex militibus qui quadam animi lenitate eminebat, suadente ut fuga saluti consuleremus, statutum est ut scholastici in primis hispani in proximos vicos discederent. Duæ factae sunt partes, quarum altera, Emmanuele duce, magnis itineribus in urbem Jovaei natalem, Vellbonae nomen, perrexit ignari prorsus hominum locorumque, itaque prope meridiem diei 24, itineri se commitentes votis omnibus prosequebamur: in caelo demum una erimus denuo!

Res quam futuram timebamus evenit. Jamque urbi appropinquabant profugi, cum in turbam incidunt militum qui statim violentas miseris manus injiciunt variisque obruant contumeliis inermes juvenes exagitantque ut impias in Deum voces jacent n-

hilique intentatum reliquentes ut animos frangant martyrum atque virtutem, qui omnes inaudita nova animi magnitudine, libertatis condicionibus spretis, consitanter se facturos negabant. Dein, Emmanuele extorquent Christi crucifixi imaginem ex ejus pendentem collo eamque ostendunt viro petulanterque incitant ut projiciat in terram pedibusque calcet; quam rem haud indigne pernegavit Jovaeus; tunc furore correpti milites contundunt cruce et os et caput miseri, dentesque etiam perfringunt: tandem, sanguine conspersus, sed singulari constantia vixit, scelerorum plumbis trajectus cum quatuordecim juvenibus est interemptus.


Sic Jovaeus occidit. Sic gloriam strenue agentibus propositam, pulcrum petens per vulnera mortem... adsecutus est; hujusmodi finem dedit Emmanuel vitae in Liberalibus disciplinis traductae. Siquidem, anno 1928 internun edere commentarium adgressus pro alumnorum in primis Congregationis Claretianae emolumento, ab anno 1930 PALAESTRAM LATINAM ad exteriores quoque vulgare incepit quam sex annos diligissime moderavit. Dolendum pariter est quod saepe lugemus in inopinato vitae excessu probatorum virorum: pendent opera interrupta...; et quidem, impolitum reliquit latinitatis lexicon cui extremam admoveare manum tantopere in corde ipsi erat; ablatam mediis incudibus quam dudum parabat Livii editionem, notis ac commentariis instrutam, quae vel flammis absumpta vel concisa aut deperdita credas. Jure eum ademptum deflent qui et amicitia et sensibus cum eo conjuncti erant; palaestritae omnes carissimi desiderio Magistri conficiuntur: sed nemo magis quam qui duos ante dies quam russorum opera satellitum eum nobis ablatum lugeremus pro religione et patriae salute caput voventem suum audiverat!

Quodsi dejecti mali causas quispiam perquisiverit in eo sitas rationes inveniet quo nemo unquam ratione utens ire infilias audebit: Nullam adversus Deum pietatem, irreligionem, inquam (hinc prima mali labes), quam hodierni vulgi turbatores, satanico quodam ducti spiritu, populorum mentibus ingerere omni opere conantur. Recte apud Platonem scriptum reperimus: Veri Dei verique boni ignorantia innumerabilium tum privatorum tum publicarum calamitatum pessimorumque consiliorum in re publica fons est et origo. Sic bellum hispanicum exarsit. Singulare quidem certamen ex hac enim parte, ut ipsius Ciceronis verbis utar, pudor pugnat, illinc fraudatio; hinc pietas, illinc scelus; hinc constantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, luxuria, ignavia, temeritate, cum vitiis omnibus, postremo.

Faxit quoque Deus, sanguis tot martyrum qui ob nominis christiani odium morte acerbissima mulctati sunt, totque virorum qui ob patriam pugnando veterumque memoriam strenue occubuerent, semen sit longe fecundissimum majoris erga Deum religionis ampliorisque cunctarum artium progressus atque incrementi futurum!

RAYMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.

R. P. Leander Fanlo Fuertes



In summa Hispaniarum rerum perturbatione quamplurimi martyres morum patriae lues sanguine eluerunt; ibi caelum conspicatas, hac una voce victimas conlamentantes audires: «ovez alma Hispania, vivat Christus Rex».

Hos inter suavissimum amicum et religiosa professione fratrem R. P. Leandrum Fanlo Fuertes, tanto nomine dignum, commemorare juvabit, quod Palaestrae Latinae lectoribus gratissimum fore putamus. Uncastelli in Aragoniae finibus honesto genere natus a teneris jam annis ea, qua majores pietate ac religione in Deum atque in parentes eniuit, non modo virtutibus inter aequales florere verum et ingenio ad bonas artes praecipue excellere visus est, quod Musarum cultu et assiduitate exercitationis jugiter excoluit.

Cum undecimum annum ageret, a Deo divino instinctu in Congregationem Missionariorum I. Cordis B. M. V. Filiorum vocatus, jem tunc usque ad extremum viuae tempus coelestem vocationem servare ac iuvi enixus es: quin non moriem oppetere paratus pro Deo proque Dei Genitrici quam Matrem appellarat. Multis animi facultibus insignitus non modo scientias sed etiam artes et in primis musicem coluit uti divini cultus pretiosum administriculum quod, labentibus annis, maximo foret commodo. Praeter assiduum Palaestrae conscriptionem, in folio "La Fiesta Santificada" inscriptio multam operam impendit ut ipsius Moderator Tous cum incumbit perpetuis scriptoris et doctoris laboribus in Cervariensi Universitate, undique patram jactari animadvertisens Barcinonem peti et in diversorio a familiaribus excipiatur ubi ad Novembrem usque mensem latuisse fertur necem nihil veritus quin potius exoptans ut saepenumero comprobaverat. Communistae ex Durruti occisione occasionem capiut et frequentissimos in vincula conjectos torquere atque trucidare decernunt. Prae ceteris primum locum tenet teerrimus ille carcer "de Sen Elias" dictus in quem plurimi ingrediuntur et ex quo pauci egrediuntur. Aliquo tempore ibi Leander noster mansit inclusus at; non multo post, ad necem rapitur quin ex familiarium testimonio conficiamus quibus subjiciatur cruciatibus. A concive proditus quocum puer ludis indulserat et in "Cheka" adductus, ad matrem dilectissimam vas crystallinum quo non semel litaverat cum propria photographica imagine et quidquid pauperculo ex jacura supererat in supremum pietatis pignus remisit.

Dum laeta ergo de saute ejus exspectabamus nuntia, nobis renuntiatur P. Leandrum occubuisse morte quidem praeclarissima sed lugenda nobis qui tam multos jam eosque dulcissimos amiseramus amicos.

Cetera autem omnia adhuc infante praeterunt. In martyrum coetum exceptum, tot fratum turma circumdatum, his verbis piissima Congregatio reverenter celebrat. "Martyr invicta, pro nobis exora."

ANDREAS HERRERA, C. M. F.

CONLOQUIA IN SCHOLA

Ut exercitatio linguae Latinae jucundior pueris evaderet simul et fructuosior, Jo-vaeus noster discipulis conloquia memoriter ediscenda eaque in schola repetenda proponebat.

Linguae Latinae professoribus atque auditoribus hodie offerimus conloquium cui nomen est «Deambulatio». Vici in Hispania scribebat Iovaeus mense Julio an. MCMXXV, paullo antequam Cervariam peteret. Personae discipulis respondent qui tunc temporis ipsius lectionibus aderant. Locorum adjuncta adprime describuntur.

DEAMBULATIO

A prandio saltitant pueri per domus cavaedium; sonat Praefectus tintinnabulum, et paullo post fit silentium. Ille manu innuit ut ad se accendant omnes, dum Petrus haec murmurat verba:

¡Heus, heus arcessimur!

| | | | |
|------------|---|------------|--|
| AMATUS | Quid igitur erit novi? | PRAEFECTUS | Quisque suam ad merendam capiet bulgam, dum Joannes de ipsa oeconomia admonebit |
| JOANNES | Grafum certe nuntium habriolor. | JOANNES | Convenit. |
| PRAEFECTUS | Hodie sudum est, quod videot; placetne deambulatum petere? | AMATUS | Quo tandem iter faciemus? Nam nisi deambulationis termino fons proxime adsit, minus jucunde merendam sumemus. |
| OMNES | (Alii aliter) lo, belle, pulcre, bene, recte! | JOSEPH | (ad auris Amati). Ne cura de fonte, melinas (cfr. Plaut. I, I. 20) namque gestabimus turgidulas dulcissimo mero. Ain vero? |
| RAYMUNDUS | Quid causae est, Praefecte? | ANTONIUS | Sic enimvero. |
| FRANCISCUS | Quid adeo liberaliter nobiscum agitur? | PRAEFECTUS | Quem ad fontem ire lubet, pueri? |
| PRAEFECTUS | Dicam. Quatuor abhinc dies rectoris nostri duximus nominalem... | FRANCISCUS | Ad fontem paradisi, quem dicimus. Omnibus ni fallor, fuerit jucundum. |
| JOSEPH | Quid jam, iterum ducemus? | PETRUS | Quod ad me attinel, nihil ita jucundum accidere potest. Ibl enim ludere poterimus; est namque illic proxime campus latus et ad ludendum mirum in modum commodus. |
| CETERI | Inepte, tace, sis; ausculta. | PRAEFECTUS | Placetne cunctis? |
| PRAEFECTUS | Eo vero die, ut scitis, conlegii statuta, praeter cetera, diutinam concedunt deambulationem. | OMNES | (ad unum) Placet vere! |
| ROBERTUS | Necdum equidem illam habuimus... | JOANNES | Si tamen ludendum erit, ludi apparatus rus adducere necesse habemus. |
| ABELINUS | Sile modo, et tu, incomis. | JOSEPH | Quin pilas quaesitum curris? |
| PRAEFECTUS | Prae incommoda caeli tempestate adhuc nobis integrum non fuerat foras exire Hodie igitur hunc splendidum carpeamus solem. | JOANNES | Sed pilas tantum? |
| JACOBUS | Vulgarem gestamus vestem, Praefecte. | AMATUS | Efferto quoque clavulas, ut clavulae ludo, quem unice volumus, ludere possimus. |
| PRAEFECTUS | Nihil refert. Nunc ipsum silenter dormitoria ascendite, atque induite vos mediocrem, non autem optimam, ne postea in ludendo sit vobis impedimento. | PRAEFECTUS | Nunquid amplius? |
| XAVERIUS | Quid de calceamento? | ROBERTUS | Qua tandem procedemus via? |
| PRAEFECTUS | Quas fertis nunc lusorias sparteas exuite, et mundos vobis calceate calceos. | PRAEFECTUS | Scietis postea. Modo autem quinque habetis minuta, ut deambulationi vos accingamini. |
| ANTONIUS | Adportabimus nobiscum merendas? | | |
| PRAEFECTUS | Certo equidem, quod me fugiebat. | | |
| JACOBUS | Ergo bulgis erit opus. | | |

Hac illac silentes dilabuntur omnes discipuli galerum, collareque atque omnem ad jocos et merendam assumpturi apparatum; brevi temporis intervallo, ad januam praesto adstanti.)

| | | |
|------------|--|--|
| PRAEFECTUS | Terni consociamini sicut es- tis designati in comitum cla- viculario. | dexteram; hac te praecipitato quoadusque transieris Gurrii ponem. Secundum illum in completo consistite parumper. Tenesne? |
| JOSEPH | (qui duxor est.) Quam viam adripiemus, mi Praefecte? | Teneo maxime. Audi nunc, Praefecte. Cum domo egre- dimur, Petrus hic semper campanulam movere conten- dit aut taxillum tympani deprimere. |
| ANTONIUS | Nisi per stratam vadamus, lutum altum reperiemus. | PRAEFECTUS Saepe monui, Petre, istuc cuja intersit. Agite jam, pro- cedite. |
| PRAEFECTUS | Bene admones, Antoni. Audi, Joseph, itinerarium. Cum ab janua discesseris, praeterito Ecclesiam, et inde pergit ad dexteram. Ubi ad stratam ve- neris, flectito ad laevam us- que ad Theresianas sancti- moniales. Tunc clivus est ad | † EMM. JOVÉ, C. M. F. |

SUAVIS RECORDATIO ⁽¹⁾

Scribendi in aurea ephemeride "Palaestra Latina" maxime inuor.

Plurimis quidem causis, quae meum ad id propellunt animum, haud parvi momen-
ti est suavis recordatio aetatis tranquillae Ciceroniano sermoni penitus dicatae, sub
moderamine carissimi magistri Emmanuelis Jové.

Nunc mente feror in Leviticam Ausonium religiosis circumdatam aedibus, quas
inter domum Filiorum I. C. B. V. M. in platea vulgo "de la Merced" sitam discrimino.
Praevia salutatione domum tanta dignam veneratione ingredior.

Memoria menti porrigit alas et utraque facultas meam adulescentuli reficit
vitam. En pressis verbis historiam. Duodecimum fere agebam annum cum Tulliana
lingua in aulis Vicensis Postulatus erudiebar; studium et ardor litterarum Latinarum
adeo vehementer me acuebat ut ex eis felicitas non parva mihi manaret; putabam ui-
que nullan inveniri posse in orbe terrarum (praeter Dei amorem) beatitudinem tam
delectabili fluentem voluptate, quam si quis operam huic idiomati navaret. Hod inci-
tamentum mirifice crevit cum totum linguae Latinae me tradidi, quando scilicet tredecim
eram annorum. Tunc temporis gaudio gaudebam sola cogitatione Latine discendi.


Nunc vero et rationem hujusce rei vobis aperio. Cuinam is amor meus in Latii lin-
guam? Hunc acceptum refero meo Latinitatis praeceptoris dilectissimo P. Jové qui,
dux expertus ac scopulorum conscius, mihi et condiscipulis stimulos cottidie addebat,
atque conatus; cura ac sedulitas illius facere non poterant, quin nos acquisitioni Lat-
inae linguae suaviter simul et impense vacaremus.

Qua ex re, nullus condiscipulorum adest qui grataanter tempora beata huic studio
dedita non recolat, quae uti umbra levissima transierunt, sed tamen voluptate plena.
Quotiens labebatur ex oculis gutta, numquam tamen amara! Nunc autem venio cum
exultatione portans manipulum meum.

† Xaverius M. Surribas, C. M. F.

(1) Paucos ante hos annos haec ingenuitate quadam scripta reliquit carissimus P. Surribas. Ipse
quoque, ut bonus miles Christi, martyrii palmam ad stationem llerensem promeruit.

In Memoriam R. P. Julii Leache



Inter hispanos martyres qui sanguinem pro Deo et patria gloriosissime fuderunt recenseamus oportet R. P. Julium Leache, clarum Palaestrae Latinæ redactorem eruditumque professorem.

Natus est dilectissimus noster Julius Monte Regio (Montreal) in provincia navarren-

si die 20 dec. anno 1908. Puer adhuc a Domino vocatus in Conlegium ingrediebatur Alabonense quod pro juvenibus futuris Missionariis Clareiani in illa civitate possident. Cursibus Humaniorum Litterarum maximus profectu Alabonae persolutis Vicum petivit ubi professus est die 15 m. aug. anno 1925. Scientiis philosophicis ac theologicis in Lyceo celsonensi atque in cervariensi Universitate optimis censuris vacavit. Sacerdotio auctus est die 21 m. maii anno 1932. Paucis elapsis mensibus Celsonam pergebat ubi Mathesis ac Quaestionum metaphysicarum cathedra maxima cum laude functus est omnium discipulorum plausu. Anno 1935 cervariensem proficiscebatur Universitatem Theologiam Fundamentalem interpretaturus. Quantam in juvenes instituendos operam diligens magister impenderit vix dici potest. Semper videres-ego Celsonae P. Julii comprofessor testis sum-magistrum discipulis totum deditum omnibusque rationibus ipsorum profectum quaerentem.

Cervariae morabatur cum tota contremuit Hispania. Quid novi? Patria carissima cum mori se sentiret experrecta est hispani exercitus vocibus, duce Franco, ejus salutem sectantis. In Catalaunia perturbatio bolchica imperavit. Universitatis cives, pii atque sapientes, domum illam scientiae et virtutis sedem derelinquere coacti sunt die 21 m. Julii anno 1936. Sapiens Theologiae professor quasi societatis putaretur inimicus mortisque dignus huc illuc graditur plures dies. Denique angoribus laboribusque quam plurimi toleratis fame sitique consumptus venit die 2 m. aug. cum duobus aliis comitibus, R. P. Ribé et Fratre Campo, in quandam villam quae Clareianum appellatur. Undeviginti Missionarii in illo fundo toto tempore aestivo jussi sunt manere. Quot molestiae oblatae sunt! Quantae defatigations! Quantae anxietates! Non unum sed plura debentur martyria. Dies currebant tardi, menses labebantur amari. Quid militur fera pessima? Non cogitat nisi de illorum virorum nece et extinctione. Noster Julius, periculis non obstantibus, semel atque iterum magna animi fortitudine sacrum facit. Multotiens cuidam comiti dixerat ut hic mihi testatus est-se in extremo vitae discrimine absolutionem omnibus impetrare velle. Accedit jam hora suprema. Venit dies 19 m. octobris anno 1936. Custodum jussu omnes Missionarii in unum congregantur locum ut facies ipsorum fieret-sic aiebant homines perfidi ac barbari. Omnibus congregatis arma sonant, globi ferrei exploduntur in agnos innocentes. Quid horribilis? Quid saevius? Quid callidius? Undeviginti viri jacent sanguine tincti. Undeviginti hostiae, Domino gratissimæ, suavem effundebant odorem. Quid sublimius? Quid mirabilius? Vestibus indui vtricesque palmas manibus tendentes in caelum evolarunt.

Cecidit, cecidit clarus PROFESSOR cum duodecim annos natus esset. Literae virum lugent sapientem, discipuli magistrum laboriosum, comites comprofessorem carissimum omnesque RELIGIOSUM pium firma praeditum voluntate dotibusque ac ingenio praestanti. Vivas, vivas, carissime JULI, martyrum corona circumdatus, dum nos, vitae muneribus recte fungentibus, te aliquandiu amplexurum speramus.

M. ZUBIRIA, C. M. F.

VICTIMIS HISPANIS

“SALVETE, FLORES MARTYRUM”

Liliis nitentibus
rosisque vestros cingerem capillos,
victimae tyrannidis
Deus sed ipse vos manu coronat!
Attamen silentio
nefas pudendum non decet latere,
quo caterva sordida
terras iberas irrigat cruento.
Quippe castra dedita
Moschis inquis, daemonum ministris,
criminosa sanguinem
nota carentem largiter profundunt,
ignibusque destinant
domos supremo Numini dicatas;
plumbeoque grandine
agros et urbes contegunt ruinis:
namque colligunt probos
agunque, et uncios peireo liquore
concremant, et ad rogos
fremunt et aethram plausibus fatigant.
Martyrum necem gravant
probris amaris, lacrimasque rident.
Quod puer piaculum
puellaque agit? Patriam fidemque
diligunt, nec integro
vigore fortes emori videntur.
Victimis sacris date
flores rubentes purpura cruxis!
Quid tamen, quid improbos
movet tyrannos ut cruenta sumant
arma et impellant feri
sic innocentes, conciti furore?
Turpe dedecus! Deum
negant, sequentes Sarmatas agrestes;
omne per nefas ruunt,
Iuporum ad instar quos fames adurget.
Numen, cunctum sator,
repelle iniquos; suscita phalanges
quae salutem Iberiae
referre possint prosperamque reddant!
Ni potens juves, Deus,
bono duellum termino carebit!
quotquot expetunt decus
Hispaniarum glorianique votis
te precantur, optimis
viris ut ad sis opprimasque pravos,
patriumque nobile
labente mundo, stemma sic honores
ut videre gaudeant
mare incolentes dissitasque terras.

JOSEPH ALOISIUS VELASCO, S. J.

Quanta animi fortitudine mortem filiorum parentes ferant

Luquini in Navarra, die 13 Junii anno 1937.

Dilectissime frater: Calamum ite·um adripio ut alterum triste nuntium tibi referam; sed tantum prima facie triste et lamentabile. Die nona currentis Junii, hora secunda ante matutinum. Constantius noster, cum in propugnaculo hostium motus vigilaret, globo quodam explodente, ut videtur, contactus, et in XX metrorum spatium ejectus, ibi continuo expiravit. Commilito quidam Constantii socius atque Aurelii nostri levir, ubi eum expirantem animadvertisit, statim superstiti fratri nuntiat, qui ut cadaver fratris susciperet, cucurrit. Ipseque testimonium nobis attulit Constantium Mariae nomen reverenter protulisse, eique fiducialiter sese obtulisse eodem nempe momento quo vitam amitteret. Albo signabimus lapillo Kalendas Majas et IV Idus Junii: dies enim sunt magnae affectionis sed et gaudii. Et gaudium quidem superat... Die IX, puncto decimo post horam secundam matutinam, Constantii horologium stetit; eadem nempe hora qua cor ipsius a motu cessasse credimus Meridie a González militum praefecto, sub cuius potestate Constantius noster erat certiores facti sumus: et continuo duobus vehiculis ducebamus in castra Basconiae prope Limonam, ubi filii cadaver jacebat. Post XX horas domi erant exubiae Constantii. Corpus integrum permanserat, unde potius ex asphisia explosionis quam fragmentorum globi contusione mortuum esse judicavimus. Populus universus domi erat, et mortem filii lugebat; sed nos, ego et mater (soror tua) magna erga Deum submissione Ei gratias agebamus, quia corpus filii, juvaminis et deliciarum nostrarum, domum portare concesserat... Cum cadaver filii domum ferebatur, soror tua ac strenui militis mater comitatui obviavam festivo more processit atque laudibus et praeconiis magnificabat filium. Ipsaque ut vidi filium umeris quorumdam honorifice delatum: «Sinite, ait, ut ego etiam umeris meis cadaver filii deferam.» Quae cum dixisset ipsa firmo virilique pectore hoc idem fecit. Domi in sacello funecum fratre Samuele vita aeterna perfrueris: ignosce ergo, fili mi, ignosce occisoris. Nos quoque tui parentes ei ex imo corde ignoscimus. Tu vero de caelo ubi felix semper eris pro inimicis tuis exora ut toto corde ad Deum convertantur, neque aeterna puniantur damnatione...

Magna felicitate gaudemus quod duorum martyrum parentes esse meruimus. Ex litterarum tracto me inimutatum esse dignosces: hoc vero non dolori sed potius maximo gaudio, quo repleor, tribuito...

Exequias prosecuti sunt Phalangis et Traditionis milites, qui supremos honores filio tribuerunt. Pompae funebri universus populus aderat. Raymundus filius et Samuel, Claretiani Sodales vocati, pervenerunt. Tumulatione facta, ad populum contentionem habuit praefectus phalangis qui ex Stella (Estella) venerat exequiasque fuerat prosecutus. Deinde Samuel duorum martyrum memoriam ac virtutes honorificavit. Facinora militum, qui in castris forti animo pugnant, laudavit et parentum merita qui longe a castris precibus et laboribus assiduis contra hostes quoque pugnant Denique universo coetu clamante in martyres, in milites in parentes et in Francum summum ducem protulit

Atque jam litteris nostris finem imposuimus.

Tui addic'tissimi

BERNARDINUS ET FRANCISCA.

(Pro versione J. Jiménez, C. M. F.) (1)

(1) Carissimus noster, P. Jiménez, hactenus toga indutus militari, a Palaestra Latina vixit, licet invitus, segregatus. Nunc vero, militiae curis derelictis, speramus Commentarii Latini habenas citissime sumpturum ipsiusque sequentes fasciculos jam paraturum.

Maxima animi fortitudo R. P. Emm. Jové, C. M. F.

Raymundus Sarmiento ex Claretiana familia sodalis, natione Argentinus, qui et ipse Cervariae Lacetanorum, studiorum causa commorabatur cum motus ille ingruit bolchicus, de exitu Patris Emm. Jovaei diligenter haec fere perscripsit.

Die XXI mensis Julii, qui in illo conlegio et universitate erant, abire sunt jussi. Dantur digae i. e. automoli currus tres, jussi ascendere rapti sunt versus urbem Celsonam; deinde reducti in quodam includuntur coenobio. Post spatium bidui, venia custodum data, in quandam fugiunt villam suam, quae «Claretianum» nomen audiebat; sed quod fama erat in ea regione vagari hostes, noctem in propinqui montis recessibus transigendam ducunt. Postridie mane ad sacellum viliae decurrunt et rem Divinam faciunt. Versus meridiem Cervariae praeses, decem hominibus nova et inusitata specie comitatus, gravissimis verbis interdicti rebus etiam ad victum necessariis. In tanta rerum iniquitate uno etiam ex communis, qui mitiore esse videbatur natura, suadente visum est fuga petere salutem, ut scholastici saltem Hispani in proxima oppida vicosque discederent.

Duo facti greges. Alterius dux creatus Jovaeus, cui additi quattuordecim scholastici, quos ille in natalem urbem suam cui Vallbonae nomen apud Ilerdam, satis longo itinere deduceret. Discedentibus Dei et Deiparae praesidia ceteri ominabantur et ad extremum dixerunt: «In caelo igitur una erimus denuo».

De fine Jovaei et eorum adulescentiolorum comitum haec ab uno ex carnificibus narrata ferunt: Appropinquantes Vallbonae in turbam

inciderunt militum, a quibus statim comprehensi sunt. Cum magnis vocibus incitarentur ut impia in Deum verba jactarent, contempta spe libertatis, constanter se facturos negabant. Deinde perquirentes Jovaei vestem invenerunt crucem cum Crucifixi imagine. Hanc indigna loquentes ostendunt sacerdoti, ut projiceret in terram. Cum nihil impetrarent, arrepta cruce contundunt caput misero et os frangentes etiam dentes, donec manans sanguine, sed invicta constantia vicit militum ab his, cum quattuordecim pueris trajectus globulis occisus est.

Talem igitur habuit finem P. Emmanuel Jové, C. M. F., qui invictus rei Latinae propugnator, cum 1895 natus, anno 1920 sacerdos factus esset, anno 1928 «Candidatum Latinum» edere coepit et ex anno 1930 «Palaestram Latinam» administravit sex integros annos. In postremo fasciculo scribens m. Junio, *«lectoribus usque mensem Octobrem vale dicimus omnia fausta et secunda per aestivas ferias exoptantes»* non est suspicatus se non in Octobrem usque sed in perpetuum vale dicere lectoribus. se post mensem futurum esse Ecclesiae martyrem, ereptum suis sodalibus, suis amicis, suis discipulis, ereptum lugenti Latinitati.

Quae amicitia ei per «ALMAM ROMAM» cum Avenario juncta erat ad extremum fasciculum «PALAES-FRAE», permansit cuius amicitiae non pauca vestigia invenies in fasciculis omnium sex annorum.

Sed revera nescimus utrum magis lugeamus casum an gratulemur palam martyrii.

A. HABERL (Avenarius), S. V. D.

BONUS MILES CHRISTI

In memoriam R. Patris EMMANUELIS JOVE, C. M. F.

Facere non possum quin gratissime accedam invitationi novi PALAESTRAE LATINAe MODERATORIS aliqua scribendi in memoriam et laudem antiqui ejusdem perillustris Directoris foede preempti, sed strenue atque feliciter triumphantis. Tantum eum quidem per litteraria scripta et epistulare commercium cognovi; attamen illius mentis celsitudinem animique bonitatem, innocentiam atque candorem non semel mihi aperuit. Ex hoc merito in me exsurrexit magna erga eumdem aestimatio, atque ex hac aestimatione moestissimus ac vividissimus dolor, dum acerbissima illius nex cognita et pervulgata fuit. Nostram tamen aegrimoniā sui triumphi splendidissimi nuntium temperavit. «*Non est enim gloria victoria nisi ubi fuerint laboriosa certamina*» ait S. Ambrosius.

Certamen utique durissimum ipse sustinuit, quapropter certo victoriae ac inmortalitatis, circumdato capite, ob oculos nostrae nunc altonitae mentis gloriosissimus ovansque pertransit. Quibus ergo aliis propriissimis verbis incipere, martyrem laudare debemus quam iisdem quae adhibebant spectatores circenses in victoria celebranda strenui ac praevalentis gladiatori? ¡Victor! ¡Victor! a populo circumspectante acclametur, qui, hoste superato, clarissimam gloriam adeptus est. Sed gloria fortissimi Patris Jové, gloria nostra nostraque laetitia est.

«*Magnaque dat nobis tantum solatia victor*»⁽¹⁾

**

, Non equidem perdidimus amicum, sed coram Deo sumus intercessorem consecuti. Nam si juxta Aquinatensis doctrinam,⁽²⁾ subire mortem, aut saltem letale vulnus

(1) Ov. Metamorph. IX. 7

(2) Summa Theol. II.a II,ac Quaest. 124.

accipere in odium fidei christianaē aut verae religionis, verum martyrium computatur; nonne verum martyrium computanda est Patris Emmanuelis invicia mors, qui, ut memoriae proditum est, in odium religionis, cuius minister sacer fuerat, vitam amisit? Etenim et ad blasphemandum et ad effigiem Christi crucifixi conculcandam adactus, non tantum a se nefarium propositum indignanter rejicit, sed potius omnia suspicere tormenta quam immania et impia ista scelera patrare voluerit. Hoc demum quodcumque est, ad certissimum Ecclesiae Magisterium relinquimus, quod definiat ei ultimum verbum de hujusmodi quaestione pronuntiet.

A mundo fortassis, quoniam sit morte acerbissima multatus, miser ac infelix dicetur; sed neutquam, nam «*saeuli homines, ait divus Augustinus, infeliciter felices sunt, martyres autem feliciter infelices erant.*»⁽³⁾

Quam pulcre atque adposite cecinit peregregius Boëthius, quippe qui adversae fortunae lacerationes nimium per vitam expertus, felicissimam illius sortem sequentibus versibus celebravit.⁽⁴⁾

«*Felix qui potuit
fontem visere lucidum,
felix qui potuit gravis
terrae solvere vincula*»

Ergo etiam atque etiam beatus ac fortunatus dilectus nobis Pater Jové, semper habebitur quia duram corporis catenam qua detinebatur et fallaci et misero et inhospito mundo religabatur, arctamque istius terrae vincula confregit, ubi tantum beatores aliquatenus dulcoratas communitiae voluptatis guttulas degustare videbimus, plerumque vero amaritudine ac taedii fellibus, magnis haustibus, saturamur.

(3) Aug. Super Psalm.

(4) Boëth. De consolatione Philos. Lib. III; me. trum 12

«Non est nostrum, ait D. Augustinus, mortem adripere, sed inlatam ab aliis libenter accipere. «Quod si dilectissimus nobis P. Emmanuel Jové in suprema hora acerbissimas aerumnas accepit; mors illi p'acidissima et gloriosissima fuit, minime terribilis; nam ut adserit Tullius, solum «mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia exstinguuntur, non iis, quorum laus emori non potest.»⁽⁵⁾

Itaque nullus audeat dicere *quam citius a caritate nostra, a commercio nostro, a pulcris litteris praepropera morte ablatus est;* quoniam eidem Stus. Augustinus respondebit: «*Vocantur ante tempus boni ne diutius vexentur a noxiis.*»

Emmanuel noster quidem mortuus est et horribilissima morte a nostro fraterno amore correptus, reliquens, at proh dolor! innominato loco corpus suum proprio purissimo madens cruento; sed felix ille qui pro Christo vitam posuit. Si nobis ignotus est locus, ejus qui ossa recondat, cognoscimus tamen quo anima ejus per venerit; quam ob rem possimus recte cum Seneca haec dicere: «*Nihil interest quo loco desinas; desine quocumque voles, tantum bonam clausulam impone.*»⁽⁶⁾

At ipse optimam quidem imposuit, fortiter ac pie pro Deo occumbens. Ipsaque terra quae os suum aperiens, ejusdem sanguinem ebibit, perlaeta tantaque inebridata dulcedine haec verba proferre videtur: «*Gloriose ac fortunate Christi miles! Ut tuae necis et victoriae testis fui, sic nunc et tuum magnificum triumphum per orbem testificor. Hic siquidem horribiliter cruciabaris, illuc jam ineffabiliter gaudes; tunc pessum datum es, nunc exultas; in mundo cunctis spoliatus, in patria omnibus ditatus ac splendore coronatus; satiatus hic es faece tormentorum, divina in caelo inebribris dulcedine; opprobrium et ignominia memoriam tuam delere voluerunt, at nunc aureis litteris in libro vitae tuum honorable nomen inscribitur et gloria semperna coram angelis indutus incedis,*»

(5) Cic. Parad. II.

(6) Senec. Epist. 78.

Ea tandem Gregorii verba rememorans illius adjuncta mortis, ut oculatus testis, aperit et ostendit: «*Erectus namque animus virtutis culmine, tormenta derisit, praemia calcavit, ante armatos... ductus, imperterritus stetit, feriente robustior, indicante sublimior.*»

* *

Jam ergo qui fonte indeficiens luminis, fonte perennis boni, fonte felicitatis aeternae submersus es atque ab omni parte in sempiterna saecula beatus eris, pro nobis exora in caelo, nam in terra nobis pro te exorare nefas est. Injuriam profecto tibi inferremus, ajente D. Augustino: «*Inuria est pro Martyre orare, cuius debemus orationibus commendari.*»

Gaude, gaude ac perfrue beatitudine tanta quae a terra nostra exulat. Inter mortales enim non es magna felicitas, quia sicut et ipse stoicus philosophus Epicetus protulit, «*beatitudo hac in vita nec est, nec esse potest ante obitum.*» Quod idem et Ausonius poëta concinens repetebat:

«*Dico hanc vitam beatam, cum peracta fata sunt.*»

Sic jam strenuus ille Christi miles, R. P. Emm. Jové, beatificatur, quia est in statu illo omnium bonorum aggregatione perfecto constitutus. Non enim ipsi omnia finita sunt; sed nunc incipiunt, nam ut poeta Claudianus decantavisi.⁽⁷⁾

«*Amissum ne crede diem sunt altera nobis sidera, sunt orbes alii lumenque videbis purius. Elysosque magis mirabere campos, cultoresque pios. Illic pretiosior aetas: Aurea progenies habitat, semperque tenemus quod superi meruere semel; nec mollia desunt prata tibi, Zephyris illic melloribus halant perpetui flores, quos nec tua protulit Aetna. Est etiam lucis arbor praedives opacis fulgentes viridi ramos curvata metallo.*

Aeternae denique beatitudinis qua semper in caelo potiris, suavissime Jové fac nos tuo oratu participes, sicuti sumus tui triumphi Jure igitur tuam necem non calidis lacrimis deplorandam, sed summis laudibus celebrandam censemus.

Gregorius MARTINEZ CABELLO, C. M. F.

(7) Claud. De Rapti Proserp. lib. II.




in Latinum transla-
ta a R. P. Ludovico

M A R C O S
C. M. F.

Villae Rosarii in
Argentina litt. Lat.
Professore


XI

Magno utriusque animi angore sese id caelum intulit apertum ales aeneus, et ad ignotas prorsus divertit plagas.




XII

Velut fulmen projecti, super vicos et urbes ferebantur venator et canis arctius ob metum ambo coëuntes.



XIII

Jamque Neptunia longe lateque patent aequora, et litus et urbes recedunt, obstupente Tito, quin aërius currus celeri volume desistat.



(Sequelur).

BIBLIOGRAPHIA

Josephus Morabito Messanensis.
Epigrammatum Liber. Excudebatur
Napocae, cura St. Bezdechi. 1938.

Non desunt hodiernis temporibus qui Marialis et Catulli Musam non sine magno exitu excolare studeant, praesertim apud Italos. Hic libellus triginta epigrammatibus coalescit, distichis versibus exaratis, quasi per jocum, ut ait auctor "tempora fallens vigil, haec tantilla epigrammata scribens, cum somnus noctis abesi." Sale et lepore gaudent, adeoque ingeniosa sunt quaedam, ut ea Bilbilitanus poëta non dignaret. Dolendum tamen quod nonnulla menda typographis irrepserint.

H. Pinard de la Boullaye. S. J.—Jésus vivant dans l'Eglise. Conférences de Notre-Dame de Paris (a. 1937)
Editions Spes. Paris.

Hoc volumine clauditur series conlationum Parisinarum quibus P. Bullaye, S. J. a quadragesima 1929 ad quadragesimam 1937 totam doctrinam Messianicam exposuit. Sex postremis conlationibus agit de Christo vivente in Ecclesia, sive de Christi et Ecclesiae relationibus. In prima conlatione doctrina Paulina "de corpore Christi mystico" generatim exponitur. Christus in fidelium cordibus operatur mediante Ecclesiae auctoritate (conlatio secunda et tertia); eorumque animas sanctificat sacramentis (conlatio quarta), praesertim Eucharistia (conlatio quinta). Ecclesiae maculae et defectus venerationem nostram erga illam potius augere quam tollere debent (conlatio sexta). Singulae conlationes adnotaciones theologicas magni momenti continent, ex Sanctis Patribus, Theologis, Conciliorum Romanorumque Pontificum documentis desumptas.

Carmina Horatii selecta, in usum juventutis studiosae ad modos aptata. Modos partim collegit, partim composuit **Josephus Wagner**. Budapestini, 1934.

Ecce opus vere originale, occasione bimillenarii Horatiani compositum, et a Societate Hungarica Litterarum Humanarum editum. Etsi certum est, ut Theodorus Birt plane demonstravit (*Horaz' Lieder*, pág. 139, Leipzig, 1925) carmina Horatiana non ad cantandum sed ad recitandum esse destinata, exceptis aliquibus choris in quibus de cultu deorum agitur, et *Carmine Saeculari*, nihilominus non defuerunt omni tempore qui lyra Horatiana commoti, latini lyrici carmina musicis modis voluerint aptari, in quibus eminent celeber ille Orlandus Lassus, Carolus Lene, Ferdinandus Fleming, aliquique poliphoniae musicalis magistri, praesertim hungarici, quorum melodias collegit, suisque propriis compositionibus auxit Josephus Wagner Fere omnes melodiae quattuor vocibus constant, aliquae etiam clavichordio comitatae. Interpretatio melodiae Lenii ad carmen III, 29 quod incipit "O fons Bandusiae", etiam imperatori Friderico Gulielmo IV maxime placuit.

Opusculum conlegiis gymnasialibus et lycaealibus maximo erit emolumento in vigiliis litterariis et musicalibus quibus alumni aliquam ex his melodius exequentes, musicae simul et humanitati consulent.

Peritis quoque in arte musica non parum adferet utilitatis hic libellus.

HENRICUS MARTIJA, C. M. F.

Imp. Octavio y Pérez. Marina Moreno, 8, Zaragoza